Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



stam eius: et dispergant alienigenae labores eius. Non sit illi adiutor nec sit qui misereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum: in generatione una deleantur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini: et peccatum matris eius non deleatur. Fiant contra dominum semper et deleatur de terra memoriam eorum: pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem et mendicum: et compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem et veniet ei: et noluit benedictionem et elongabit ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum et intrabit sicut aqua in interiora eius: et sicut oleum in ossibus eius. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur: et sicut zona qua semper praecingitur. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum: et qui loquuntur mala adversus animam meam. Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum: quoniam suavis est misericordia tua. Libera me quoniam egenus et pauper sum ego: et cor meum conturbatum est intra me. Sicut umbra cum declinatur ablatus sum: et excussus sum sicut locusta. Genua mea infirmata sunt a ieiunio: et caro mea immutata est propter oleum. Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me et moverunt capita sua. Adiuva me domine deus meus: salvum me fac propter misericordiam tuam. Et cognoscant quia manus tua hoc: et tu domine fecisti eam. Maledicent illi et tu benedices: qui insurgunt in me confundantur: servus autem tuus laetabitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore: et operiantur sicut diploide confusione sua. Confitebor domino nimis in ore meo: et in medio multorum laudabo eum. Quia astitit a dextris pauperis: ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Ant. Confitebor domino nimis in ore meo. ℣ Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus Benedicat nos deus et custodiat nos. Benedicamus Oriatur faciem suam nobis et misereatur nostri. Benedicamus Confitentur domino omnia opera eius et sancti eius benedicant. Laud. Benignae fac domine bona voluntate tua domine. ℣ Miserere. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Bonum est confitemini domino: et psallere nomini tuo altissime. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam: et veritatem tuam per noctem. In decacordo psalterio: cum cantico in cithara. Quia delectasti me domine in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua domine: nimis profundae facta sunt cogitationes tuae. Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelliget hoc. Cum exortati fuerint peccatores sicut fenum: et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabit sicut unicornis cornua mea: et senectus mea in misericordia uberi. Et despexit oculus meus inimicos meos: et insurgentibus in me malignantibus audiet aures meae. Iustus ut palma florebit: ut cedrus libani multiplicabitur. Plantati in domo domini: in atriis domus dei nostri florebunt.